



MELISSA

EUROPAEA FOLIA SECUNDO QUOQUE MENSE LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE - Avenue de Iervueren, 76, Iervurenlaan - 1040 BRUXELLIS
Tel.: 734 55 42.

ANNUM NOVUM FAUSTUM FELICEM !

Incipientis anni occasione data, non inutile mihi videtur MELISSAE praeterita, quamvis brevia, perpendere, e quibus consideremus quid in propositis nostris novandum sit.

Imprimis gaudemus quod MELISSAE folia, quae in initio scriptis sodalium Belgici circuli Latini tantum complebantur, nunc plurimum aucta sunt elegantibus operibus, quae ad nos benigne miserunt novi cooperatores. Quibus gratias maximas agimus. Cum scripta et nuntia Latina ex diversis Europae regionibus missa divulgaverimus, lectores percipere possunt quam late pateat orbis Latinus et quantae utilitati esse possit lingua Latina gentibus Europaeis confoederandis.

Cuius linguae usus nobis primum remedium videtur esse contra "Eurosclerosin", gravem morbum, quo Europaei dicuntur hodie laborare.


Propositum nostrum initiale manet immutatum, quod est consuetudines cum hominibus quam plurimis iungere, qui latinam vitam inveniunt.

Immutata etiam lex foliorum Latinorum nostrorum, quae est lingua simplici facilique intellectu uti; nam, si de linguae Latinae utilitate hodierna quam frequentissimis hominibus persuadere volumus, eis demonstramus oportet scripta Latina etiam facile et a primo lectu intellegi posse, quae est condicio, sine qua non, ut satisfaciat necessitatibus nostrorum aequalium.

Respuenda certe non est clarorum auctorum lingua ornatissima, quae summum affert delectamentum, sed solum paucioribus. Ad quod culmen neque antiquitus neque hodie pervenitur nisi per gradus et satis constat omnes homines ad summum gradum pervenire non posse aut ~~non velle~~, id quod non tantum valet in linguam Latinam sed etiam in linguas hodie communiter usitatas. Ne litterarum Latinarum flores oblivione

(sequitur p.7)

Holle



DE REBUS MEMORIA TENENDIS.

Apud Ciceronem legi potest Simonidem, clarum illum poetam Ceum, inventorem fuisse artis cuiusdam memoriae.

Nam cum cenaret apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, in quem carmen scripserat, evenit ut Simonides vocaretur foras; "iuvenes stabant ad ianuas duo quidam, qui eum magnopere evocarent." Surrexit ille et prodiit. Statim post, conclave, ubi Scopas epulabatur, concidit; cuius ruina ipse Scopas cum cognatis oppressus interiit.

Quos cum humare vellent sui, neque possent obtritatos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo quod meminisset quo loco quisque cubuisset, demonstratorem uniuscuiusque sepeliendi fuisse.

Hac tum re monitus invenisse fertur ordinem esse maxime, qui memoriae lumen adferret. Itaque eis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos demonstravit et ea quae memoria tenere vellent, effingenda animo atque in eis locis conlocanda.

Et Cicero concludit: "Sic ordinem rerum locorum ordo conservat, res autem ipsas rerum effigies notat atque locis pro cera, simulacris pro litteris utimur." (CIC., De Oratore II, 352 sq.)

Haec Cicero de arte memoriae et usum oratorum futurorum disserens fortasse non omnibus persuadebit.

Tamen unusquisque secum periculum facere potest num haec Simonidis methodus sit efficax. Nam quis nostrum numquam expertus est id quod sciret in loco quodam, dum transiret in alium oblitum esse, dein in priorem revertens iterum meminisse?

Aliud exemplum legi potest in commentariis medicis qui "Mensen Medisch" inscribuntur. (Fasc. 2, 1984, p. 46): (Bona memoria imprimis plus pendet a dispositione et exercitatione quam ab indole. Ars vero in eo consistit ut res memoria tenendas quam maxime adiungantur rebus iam pridem notis.)

"Nonnulli homines facilius imagines sive effigies quam vocabula memoriae mandant. Shereshevski, vir Russus ob memoriam suam eximiam atque extraordinariam clarus factus, indicem quinquaginta vocabulorum semel tantum auditum post quindecim annos sine omissione vel errore iterare valuit. Narravit se vocabula transformasse in effigies quas conlocasset in via Gorki Moscoviensi. Ubi indicem pronuntiare iussus est, imaginem viae Gorki in mentem redigens vocabula "vidit" omnia bene in ordinem instructa atque constituta."

Nonne haec simillima sunt eis quae ante tot saecula iam a Simonide proposita sunt? Nihil, re vera, novi sub sole!

R. Cappelle.

DE PALAESTRA BONAE MENTIS

ab Erycio Puteano (1574-1646) olim condita.

Mense Augusto anni 1983i, res mirabilis Vestendae in maritimo vico evenit: post longum silentium Ausonia lingua resonavit in auribus Belgicis! Nam, in nostris regionibus, usus sermonis Latini non ecclesiastici iam ante centum et quinquaginta annos fere omnino obsolevit. Tempore Wilhelmi I regis Nederlandiae in studiorum universitate etiam Latine docebatur dissertationesque inaugurales Latine conscribebantur. Sed, expulsis Batavis, maiores nostri libertatem suam tandem adepti, in universitate sermonem Francogallicum in locum sermonis Romanorum substituerunt. A quo tempore ~~legi~~ dicere licet linguam Latinam vivam e Belgica radicitus extirpatam esse. Tunc temporis tamen, in aliis Europae regionibus, lingua Latina vigere non desinebat multis in universitatibus, praecipue Germanicis et Polonicis.

Attamen, Belgica multos et bonos scriptores Latinos per multa saecula genuit. Sed saeculo ~~sedecimo~~ ^{exto} nostra regio ingentem cladem pro cultu humano passa est. Fere omnes docti et excolti homines vel necati sunt ab exercitibus crudelissimi ducis Albae vel, ne mortem obirent, sese in fugam receperunt, ita ut in Belgica ne una quidem anima libera remaneret et ut posteris saeculis, septimo decimo et duodevigesimo, tantum theologi et historici et hagiographi et poetae scriberent, inter quos non numerantur maximi momenti homines quales tunc temporis in aliis regionibus progressum humanum ad culmen ducebant. Non peperit Belgica suos Cartesios, Spinozas, Leibnitzios, Huygenios, Bernoullios vel Neutonios. Iure scribebat Rogerus Avermaete cultum Belgicum adhuc pati effectibus dominationis ducis Albae.

Inter Belgas scriptores saeculi septimi decimi, eminet tamen Erycius Puteanus (1574-1646), certe non propter ideas novas vel cogitationes philosophicas, sed propter elegantiam artis scribendi. Nostra etiam alia de causa interest: condidit enim a^o 1610^o Lovanii academiam quandam Latinam, quam nominavit "PALAESTRAM BONAE MENTIS", ubi ars bene Latine loquendi scribendique colebatur. Inter academicos fiebant colloquia docta vel auctorum lectiones vel declamationes. Cuius societatis regulae divulgatae sunt in libro, qui inscribitur: "Palaestra bonae mentis auctoritate serenissimorum principum in Athenaeo Lovaniensi instituta (apud J.Ch.Flavium, 1611, in 4^o, p.152).

Tempore quo Erycius Palaestram suam condebat, iam in multis urbibus Europae eruditi homines solebant in Academiis sese congregare. Haec consuetudo saeculo XV^o Florentiae orta erat. Marsilus Ficinus, neoplatonicus, condidit a^o 1462^o, Laurentio Magnifico favente, primam huius generis academiam. Placebat enim Marsilo Ficino, Politiano et Pico Mirandulano libere inter se colloqui, quia tunc studiorum universitates sub iugo Scholasticae languebant. Deinde, imitantes et aemulantes ficinum in aliis urbibus

(sequitur p.7)

DE HIEMALIBUS DIEBUS FESTIS

Ubique Europae annus effluit festis diebus distinctus, qui significationem Christianam habent. Ple-rique tamen iam celebrabantur ante Christianismum Imperio Romano impositum. Quomodo Christiani festa hie-malia sibi assumpserint, paululum adambabo.

DE NATIVITATE.

Die 25° mensis Decembris celebratur Nativitas Iesu Christi. Hic dies festus, qui magni momenti Christianis est, initio tamen non celebrabatur. Tan-tum enim anno 130° nostrae temporum rationis papa Te-lesphorus Nativitatem celebrandam instituit. Post nonnullas haesitationes, dies sextus mensis Ianuarii electus est. Multi tamen Christiani pergebant una cum non Christianis diem nativitatis Mithrae, sive Solis Invicti, celebrare die 25° mensis Decembris, quod est solstitium hibernum. Quare, medio quarto saeculo, Ec-clesia diem anniversarium Nativitatis Iesu Christi mutavit, qui iam inde celebraretur die 25° mensis De-cembris. Sic Christus splendens substitutus est in locum Solis Invicti.

De ipso loco Nativitatis Iesu, notandum est Be-thleem specum, ubi Iesus infans dicitur in praesepi positum esse, et nemus, quo circumdabatur, multo ante Adonidi consecratum esse. Quem iam frequentatum locum sacrum adoptaverunt Christiani.

In Provincia, altera translatio Adonidis cultus in Christianismum invenitur. Provinciae enim incolae tribus septimanis ante Nativitatem cerealia ante Iesu praesepe ponere solent ad prosperitatem obtinendam ut olim in "Adonidis hortis".

Crustulum, forma ligni fissi, quod Nativitatis die ad secundam mensam comedere solemus, originem trahit ex usu Mithrae sectatorum, qui olim solstitio hiberno magnum ignem accendebant ut solem adiuvarent ad revalescendum.

DE EPIPHANIIS.

ll Nostris temporibus, dies sextus mensis Ianuarii est Regum Magorum solemne. Quo die, Ilo saeculo, ut iam dixi, celebrabatur Christi Nativitas et postea Baptismus. Eodem fere tempore, habebantur antiquitus Saturnalia. Quibus festis rex scurrilis sorte et faba eligebatur. Faba adhuc absconditur in "crustulo Re-gum", qua rex scurrilis die Epiphaniarum sorte desi-gnetur.

Stella quae reges Magos ad Bethleem duxit ad an-tiquorum mentem etiam conveniebat. Astrologiam enim amabant et putabant hominum fata e concursione side-rum, qualis fuerit die natali, pendere. Illustrium virorum ortus vel mors saepe nuntiatur stellis vel cometis inexpectatis (e.g. C. Iulii Caesaris mors).

Magorum orientalium mira praesentia signum est affinitatis Christianorum cum Persis, quorum Magi

erant sacerdotes.

DE CANDELARIIS.

Die 2° mensis Februarii, pompa fit ad Christi admissionem in templum et Virginis Mariae purgationem commemorandam. Qua occasione candelae et cerei ferun-tur ut signum lucis a Christo allatae. Eodem die Cel-tae ignes accendere solebant ad aerem purificandum et naturam vivificandam. Quod gentile solemne Christiani sibi etiam assumpserunt. ll

Diana LICOPPE.

De PHILOLOGIAE CLASSICAE DIE FESTO Bruxellis habito

Kalendis Decembribus multi alumni Universitatis Liberae Bruxellensis, qui in ea philologiae classicae studuerunt, in campum Solbosch feliciter convenerunt. Ubi eis dies festus erat: cum Universitas Bruxellen-sis CL annos orta esset id quod a multis iam variis modis celebratum esset, professores nostri constitue-runt philologiam classicam quoque illustrare, scilicet "die classica" constituenda atque libello de om-nibus quae per novissimos L annos gesta sunt edendo. Vant

Die constituta primo professor C. Deroux habuit cum professoribus J.-H. Michel et Cl. Sterckx collo-quium de speciebus Celticis apud Catullum inventis, in quo confirmari volebat apud Catullum nihil obsceni esse, sed xxxxxxxxxx quaedam tantum. Per quod collo-quium omnes auditores maxime mirati sunt nomina Cel-tica quae Cl. Sterckx impedita lingua tam celeriter pronuntiabat. Nobis gaudio quoque fuit quod professor S. Byl, qui hoc anno incipiente diu aegrotavisset, inter nos sedere potuit. Deinde, postquam in aula Universitatis memorati sunt philologi classici qui bello proximo (MCMXL-MCMXLV) pugnantes caesi sunt, potum atque pransum est. Denique ii qui nondum fessi erant professorem A. Deman secuti sunt in quandam ea-rum popinarum quas bene novit, paene quasi res Roma-nae essent. Hese l

Ut supra dixi, etiam libellus editus est, cui titulus Grec et latin en 1983 et 1984. Cinquante an-nées de philologie classique à l'U.L.B., in quo legi possunt veteres professores nihil gessisse nisi mira-bilia, atque multa alia de "memoria patrum"...

Qui optimus fuit dies, utinamque etiam alii ta-les sint, si quando occasiones fient.

Dominicus MORIS.

INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES IANUS NOVAK

Maximo cum maerore comperimus Ianum Novak, musicum Moravum, qui cum Professore Valahfrido Stroh Monacensi LUDOS LATINOS anno 1983° instituerat, die 17° m. Novembris anno 1984° vita defunctum esse.

Iani Novak vitam et opera hic celebrant imprimis Valahfridus Stroh, eius amicus, deinde Theodericus Sacré, qui eum valde admirabatur:



DE IANO NOVAK MUSICO LATINISSIMO NUPER MORTUO.

"Carminibus confide bonis: iacet ecce Tibullus!" sic olim Ovidius in funere poetae optimi cecinit, sic nos quoque, cum Iani Novak musici Moravi mortem deflemus. Quantum in illo perdiderimus omnes, qui Latinas Musas ac litteras amamus, verbis dici vix potest. Neque enim omnibus saeculis hominem musicum fuisse credo qui tam fideliter Latinas litteras coluerit quam hic Ianus.

Idque sua sponte fecisse videtur neque Latinitatis amorem magistris debuisse. Vitam eius brevissime percurramus. Natus est A.D. 1921 in viculo quodam (Nova Rise) Bohemoslovaciae vel (ut accuratius dicam) Moraviae. Praeceptores musicos frequentabat et in patria et in America, ubi inter discipulos et Aaronis Copland et Bohuslavi Martinu civis sui erat. Reversus in Moraviam mox magnam gloriam meruit et a civibus suis huius saeculi musicis optimis adnumerabatur. Uxorem, quam duxerat, et filias, quas genuerat, operum suorum fructu facile sustentabat. Tunc, cum fere triginta quinque annos natus esset, Latinas Musas, quas in schola obiter tetigerat, melius cognoscere et intellegere coepit. Scilicet tenuit virum musicum ars illa metrica, quam sumptam a Graecis Romani poetae suae linguae accommodaverant. Haec, inquam, ars metrica eum sibi adstrinxit tamquam vinculis magicis neque unquam dimisit. Tunc coepit latine cum amicis confabulari, tunc ipse carmina scribere: duo volumina poematum confecit et edidit. Et quam dulcia sunt ac iucunda! Nihil umquam scripsit Ianus, quod langueret: omnia suci plena ac vigoris.

Sed de maioribus dicendum est. Eo tempore, i.e. exeunte decennio sexto huius saeculi, Ianus artem quoque musicam suam Latinis Camenis servire voluit. Enumerare non licet hic omnia carmina Latina, quae iam tunc suis modis instruxit. Duo opera tantum nominabo, quae ipsi mihi notiora extiterunt. In Passere Catulli, quem cantori bassae vocis et organis compluribus destinavit, artem Schoenbergianam vel dodeca-
phonicam adhibuit ut tamquam per iocum aviculae vitam

et mortem describeret. Vix credibile est, quam iucunde haec sonent, cum ars illa duodecim sonorum interdum aridior videatur ac siccior. Etiam pulchrior est Dido, quam symphoniacis, recitatori mediaeque vocis cantrici concinendam scripsit. Hoc opus nuper Rafael Kubelik taenia excepit saepiusque per aethera emittendum curavit: quin etiam proximo anno Didonem edet Neo-Eboraci. Non mirum est eum tanti facere hoc opus; Eo enim Ianus vim atque gravitatem amoris, quam Vergilius verbis descripserat, arte melica mirifice expressit.

Venimus ad tristiora. Oderat Ianus semper sectatores disciplinae vel tyrannidis communisticae. Eam ob causam valde arrisit illi ver illud Pragense, quod dicitur, cum civibus maior data libertas videretur. Hoc igitur cum A.D. 1968 cataphractis hostium obtritum esset, in patria diutius manere non voluit nec potuit. Migravit Ianus cum suis; ac primum in Daniam, deinde in Italiam venit. Civitatem quoque Italicam ibi obtinuit (eaeque in terra nunc cineres eius, ut ipse iusserat, compositi sunt.) Denique victus causa A.D. 1977 migravit in Germaniam sedemque Novae Ulmae collocavit. Ibi opera atque auxilio Elissae uxoris, quae miro ei amore iuncta erat, factum est, ut studiis Latinis et musicis vacare potuerit: nata sunt opera plurima, quibus ille Latinum sermonem, quem mortuum dicunt, ad vitam revocavit. Veterum poetarum nobilissimos tractavit: non solum Catullum, Vergilium, Horatium (quem maxime adamaverat), sed etiam Tibullum, Sulpiciam, Senecam tragicum, alios. Quid quod etiam scriptores prosae orationis modis musicis dignos credidit? Apici praecepta culinaria, Ciceronis in Catilinam invectivam, Senecae de Claudio Ludum iucundissimis cantibus ornavit. Nec constitit in temporibus antiquis, sed Musa eius longius egressa omne medium aevum, omnia recentiora saecula percurrit. Quot poetas iniuria temporum tamquam tenebris obrutos inde protraxit et suis illustravit modis! Et quam acute de poetarum ingeniis iudicabat! Elegantis-

simum quemque semper plurimi fecit, ut inter novissimos Iosephum Eberle et C. Arrium Nurum, vates tam ingeniosos. Summum autem opus Iani videtur esse fabula musica ("Dulcitus" nomine), qua drama Hrosvithae Gandershemensis, principis illius poetriae Germanicae, scaenae accommodavit. Quibus operibus multa addere ei in animo erat: velut Plautum et Senecam in theatra musica revocare voluit, renovare veterem artem pantomimicam. Harum omnium spem rerum die 17 m. Nov. A.D. 1984 Mors importuna sustulit.

Quid in arte Iani praecipuum fuerit, quaeritis? Hoc facile exponi potest. Nam sciunt omnes fere pueri Latinas syllabas aut longas esse aut breves. Quod, quamquam discitur in scholis, a viris musicis tamen paene ignorari videtur. Ii enim in modis componendis aut accentus naturales aut ictus quos dicunt metricos sequuntur; ipsas autem syllabarum dimensiones, in quibus est fundamentum metricae, minime curant. Ianus contra, purarum aurium homo, in naturam syllabarum et metrorum cum diligentissime inquisivisset, sic sua cantica temperavit, ut omnis veterum numerorum vis

tamquam a mortuis suscitaretur. Id quod maxime cognosci poterit e novo libello, qui mox in publicum ex aedibus Artemidis Monacensis prodibit. Is continebit quinquaginta "Cantica Latina"- is est etiam titulus libri -, quae diversis numeris et saeculis scripta, omnem varietatem artis metricae exhibebunt. Hoc libro utemur, cum cantabimus in LUDIS LATINIS Augustanis, qui magna ex parte memoriae Iani Novak dicati erunt. Nam is LUDORUM LATINORUM, quos primus excogitavit, tamquam pater ac patronus est.

Dixi de arte musica Iani. Nam de eius vita ac moribus dicere sine lacrimis non possum. Quis unquam humanior, comior, urbanior fuit? Quis amicus certior, fidelior? Ego certe quod hunc virum novisse, quod hoc amico uti mihi licuit, inter optima fortunae dona numero. Cuius ego corpus cum cremaretur hisce versiculis allocutus sum:

Iane, vale dulcis; neque erit tibi terra molesta.

Nam superest melior pars tua : Iane, vale.

Valahfridus Stroth

DE IANI NOVAK CARMINIBUS LATINIS IN MEMORIAM SUAVISSIMI POETAE

Iamque fuit Ianus; silet ac pallor notat ora;
At mulcet cantu pectora perpetuo.

Luget Musae; luget Calliope Ianam Novak; luget Euterpe alumnum adeptum; maeretque res publica litterarum Latinarum omnis. Poetam enim annum tertium et sexagesimum vix emensum vis repentina necopinatae mortis sustulit eundemque egregia ac singularia carmina ludentem ad silentium sempiternum crudelis compulit.

Equidem virum de facie non noram; at iis ex sermonibus, qui ad me de eo pervenerant atque iis ex epistulis, quas aliquando inter nos dederamus acceperamusque, quo esset ingenio quantave praeditus fascinatione homines ad se alliceret perfacile collegeram. Quibus de causis adductus eram ut Ludis Latinis, quibus ille praeesse soleret, tandem aliquando interesse vellem; nunc, cum ille immatura morte sit praereptus, quid futurum sit nescio...Nec mihi continget ut optimum ei nuntium deferam, modos musicos Novacianos a Flandris etiam exhiberi (1).

Namque musurgum potius quam poetam se putabat Novak, qui a puero in artem musicam incubuit, Brunae primum in urbe Moraviae, deinde Pragae, tum et Novi Eboraci, qua in urbe Americae Septentrionalis Aaronem Copland et Bohuslavum Martinu, musurgos celeberrimos, alios mittam, adiit. Cum arte melica satis imbutus esset ad Penates revertit uxoremque duxit Eliam Hanouskova clavicinam, quacum ad opera exhibenda non semel in publicum prodiit. Post autem annum 1968 illum taeterrimum, patriam deseruit et, apud Italos Danosque aliquot annos versatus, in Germaniam occidentalem migravit.

Ianus carmina fabulasque Latinas imprimis modis ornabat musicis; nam et poemata antiquorum et rhythmos mediae aetatis (quae dicitur) et neo-humanisticorum poetarum (qui nuncupantur) et sui ipse versus arti musicae aptavit. Quae cum longum sit singula enumerare, sat erit si Passerem Catulli (anni

1962), si Dulcimum, melodrama anno 1974 e Hrotsvithae a Gandersheim fabula compositum, si Astacum et Neream, anno 1973 e Iani Arri Nuri idyllio depromptos, si Meditationem caninam, ipsius Iani Novak carmen anno 1975 quattuor vocibus puerilibus adaptatum, laudaverim. Si quis opera cuncta dispicere cupierit, elenchum a Ioachimo Draheim confectum in manusumat (2).

Quae opera, tametsi virtutes musicas existimare meum non erat, silentio praetermittere propterea non potui, quia Ianam Novak, etiam cum carminaret, Latini sermonis euphoniae aures praebuisse et quasi musurgum quandam carmina creasse persuasum habui. Erat enim mirificus, novus atque inauditus sonorum artifex, qui poemata perfecit ludibundus ludoque Latinae linguae operam dedit. Dum ambiguas verbis significationes alligat, risus legentibus movit -rem dico in poesi Latina et hodierna satis rara! --:

Bau bau

sum canis

quid stupes?

quin tibi dico : sum canis

habeo caudam et demissas aures

etiam lātrō

sum canis sed haudquaquam lātrō

ne me male intellexeris

ego quidem lātrō sed non sum lātrō

sum canis

lātrōnēs non lātrant

sunt homines et homines lātrāre non solent

homines non lātrant sed homines sunt lātrōnēs

et utuntur lātrāris!

Minime ego

homines utuntur lātrāris et ferro

ego miliaria praefero et ossa

quidni praeferam?

non sum homo

sum canis

et lātrō

bau bau

Complura igitur id genus poematia ludicra eaque saepe amatoria, paucis versiculis circumscripta, pepigit; quae saepe eo tantum fudit ut aut risus concitaret aut teneros amores apte interpretaretur. Nec tamen umquam, dum eludit ingenio, ultra modum processit. Nam quamvis linguae claustra classicae effregisset, scientia eius et sensus Latini sermonis prohibuit ne inania verba cumularret; immo, intus Latinam linguam calluisse mihi videtur, cuius poematia non ex afflatu vernaculo verum Latino orta esse dixerim.

Carmen autem, quo nullum clarius condidit Novak, Fures Iympanotriba inscribitur idemque, hendecasyllabis exaratum, in Certamine Hoeufftiano anni 1970 magna laude condigne est honestatum. Quo in poemate omnium suavissimo agitur de vere illo Pragensi in ipso flore praeciso atque exterminato. Etenim depingitur nox illa mensis Sextilis anni 1968, qua Russi Bohemoslovaciam invaserunt qui libertatem paulatim institutam vi opprimerent :

Factum est ecce diem ante ter quaternum
Septembres - niger est dies - Kalendas :
ut fures bene nocte se tegentes
cum satellitibus suis in armis
turba barbara turpis ferox et
saeva sordida militum rubrorum
invasit patriam meam quietam,
abundant ubi aquis amoena prata,
veris flos ubi floret atque vernat,
in saxis ubi pinus et susurrat,
terram mellifluam diisque gratam,
invasit spoliavit occupavit.

Ad summam autem efficacitatem numeros et sonos perduxit cum exclamaret quid ipse sentiret quove modo in eos, qui patriam oppugnaverant, vindicandum esset:

Nunc pauper fugitivus et vagans, nunc
exspes et patria domoque ego exful
vocem tollo nimis dolore fractam
et raucam nimis atque exasperatam,
vocem tollo tamen furenter atque
tundo tympana turturesque turbo,
tundo tympana torpet et manus iam,
usque at tympana tundo ego tonanter
crebris verberibus ciens severos
versus verbaque veritatem amaram:
o gentes populi, cavete et omnes
qui ius fasque fragrans opusque pacis
vitam liberam amatis atque rectam
percauti sitis et cavete rursus:
per terras maria arduosque caelos
ambit Russa manus, manus cruenta
pestem perniciem serens ubique,
ambit continuoque et appropinquat: (vv. 14-25
PROXIMUS PARIES videte IAM ARDET ! et 68-86)

Quos versus legenti veniet in mentem Lucretii, qui haec in altero libro de Rerum Natura : tympana tenta tonant palmis et cymbala circum.

Lectores vero Theodisci tympanotribam illum cum Guntheri Grass fabula Milesia, cui Die Bleichtrommel (1959) est index, Batavi autem cum celeberrimo Ioannis Greshoff carmine coniungent:

Ik sla de bom, het is geen tijd voor zingen,
voor maanlicht, minnepijn en mooie dingen,
als de gerechten, onze zielsgenoten
in donkre martelkampen weggesloten
verteren zonder hoop op beter morgen,
als dronken loeders godenzonen worgen
moeten wij allen klaar staan voor de dood.
Wordt wakker, want de nood is groot.

(Een strijdbaar man (1934), vv. 9-16)

Extremum est ut doleam quod Ianus Novak tam paucam poematia in vulgus edidit; nam duo tantum carminum libellos (eosque propriis sumptibus) divulgandos curavit, quorum alter Ludicra (Brunae, anno 1965) inscribitur, alteri est titulus Suaviloquia (ibidem, anno 1966). Reliqua autem poematia, diversis in commentariis sparsim typis excusa, ne unquam in oblivionem irent, in indicem rettuli.

Lassa potes tandem committere membra sopori:
vicimus. Ex animo tibi fluxit carmen anhelu,
floruit afflicto divina e corde poesis.
(Ferdinandus M. Brignoli, Iurgium, (1969)
vv. 50-52)

1° Cfr. commentarii qui "Knack" inscribuntur
(die XXVI° mensis Septembris anni 1984i)

2° Videsis infra elenchum carminum, num. 5

3° Meditatio canina

Alias paronomasias notavimus ex. gr. has :

* "sed nondum habeo hanc rem certam
sciatne anna
anne
anna nesciat"

* "cum Seneca se necabat"

* "excute ex cute somnum
pelle ex pelle languorem"

* "melle mele meliora"

* "tene teneram tenui
corne tibi corripui
fele feliciorem me,
quem tua pelle pellexisti
quem tuo crure cruciasti
quem tuo cilio conciliasti
quem tua lingua colligasti
quem tuo capillo o capis
quem tua cute concutis."

APPENDICULA : DE IANI NOVAK CARMINIBUS LATINIS

1° Ludicra , Brunae, 1965

2° Suaviloquia. Tener liber versuum teneriorum de rebus tenerrimis, Brunae, 1966

3° Anno 1985 ineunte novus carminum libellus ex aedibus Artemidos Monacensis prodibit 'cfr. Vox Latina, 20, 77, 339)

4° Vita Latina :

- sedecim poematia divulgata sunt in libellis 28 (mense Quintili anni 1966), 30,32,34,35,37,38,42, 44,51,56 (mense Decembri anni 1974).

- Huc accedunt soluta oratione scripta, plerumque de arte musica, utputa :

*De statu musicae Bohemoslovacae, 42, 29-31;

*Utrum "pianoforte" an "fortepiano" dicendum sit (subiunguntur versus hexametri sex), 32, 54-56.

ANNUM NOVUM FAUSTUM FELICEM!
(sequitur)

mox conterantur, necesse est ipsa planta latinitatis iterum crescat ab humiliore gradu. Quae humilior, vulgarior latinitas ergo omnino non est spernenda sed imprimis curanda. Quare ei praesertim operam dare volumus.

Ex usu comperimus fieri non posse ut omnia scripta edenda a collegio universitatis professorum emendarentur, id quod insuper videtur plus impedimento quam incitamento nonnullis esse (Hoc nos iam ab initio monuerat Professor Suitbertus Siedl Austriacus). Grammaticalem convenientiam observare omnibus scriptoribus necessarium est; praeterea, peritiores minus peritis sint exemplo.

Quod pertinet ad materiam tractandam iam a numero tertio statuimus partem scholarum discipulorum in foliis separatis edere, quibus index "MELISSA IUNIOR!" Quae folia separatim emi possunt. Ut discipulis quam aptissima fiant, omnino necessariae nobis sunt magistrorum sententiae et consilia.

Pars philologis destinata nobis videtur laudissima fuisse. Speramus ut aemulationem suscitet.

In parte generali ^{etiam} tractare de Europae historia sed ad rationem totius Europae, non singularum nationum vel regionum, ut plerumque fit. Quod est in votis Consilii Europaei. Etiam de scientiis naturalibus tractare ^{velimus}. Quare novos socios quaerimus harum rerum peritos et linguae Latinae non inscios.

Ex Amaltheae cornu copiae omnia quaeque bona atque fausta anno 1985° lectoribus profundantur atque in dies frequentiores quoquo versus evolent MELISSAE!

Gaius Licoppe
Bruxellensis

DE PALAESTRA BONAE MENTIS
(sequitur)

Italiae, docti Academias condiderunt. Sic Venetiis Aldus Manutius condidit Academiam Philhellenum. Singulae academiae sua propria cognomina, suas sententias, sua insignia habebant: ^{velut} Academia Olympicorum, Philharmonicorum, Humidorum, Aldina, Secretorum Naturae, Lyncum, cuius ultimae Galilaeus sodalis erat. Quae academiae strictis legibus regebantur et a principibus vel consulibus vel censoribus moderabantur. Certis diebus inter se sodales conveniebant. Multi docti erant sodales complurium academiarum, id quod in Italia diffusioni idearum favit. Sed post saeculum aureum academiarum liberarum, rei publicae moderatores eas in suam dicionem redigere voluerunt. Sic Cosmus Medicus Academiam Humidorum, a°1540°, in Academiam Florentinam publicam convertit. A quo tempore, ipsae Res Publicae suas condiderunt academias. Sic Bruxellis a°1772°, Imperatrix Maria-Theresia condidit "Academiam Caesaream Regiam Scientiarum et Litterarum", sola institutio in Belgio, quae dissertationes Latine conscriptas adhuc accipit!

Alafnus Divutius.

5° Vox Latina:

- P. Caelestis Eichenseer indicem confecit Novacianorum carminum quae inde ab anno 1969 divulgata sunt in Voce; qui elenchus una cum Valahfridi Stroch verbis in memoriam poetae ineunte anno 1985 in fasciculo 78 in lucem prodibit;
- ¹⁰ Iachimus Draheim, Iano Novak sexagenario, 63, 1981 98-101. Accedit "conspectus rerum omnium quae Ianus Novacus lingua Latina concinenda fecit, ab Ioachimo Draheim compositus, Iano Novaco, melodiarum compositore, ipso adiuvante". Ipsius Iani carmina modis musicis ornata affero :
 - * Exercitia mythologica (1968)
 - * Ignis pro Ioanne Palach (1969)
 - * Columbae pacis et aliae bestiae (1972)
 - * Dicteria (in puellas) (1973)
 - * Meditatio canina (1975)
 - * Uxorati viri cantus (1978)
 - * Cantilenae (1980)
- Exstat et phonocaseta versiculorum Novacianorum musicae aptatorum, numero insignata SP 40 274 (1980) quae peti potest a "Inmus KG, Elisabethstrasse 38, D-8000 München 40".

6° Aventinum:

- De Novak : 2, 1-2, 1973, 6;
- Carmina: * Ex Benaci ripa: 2, 3-4, 1973, 5;
 - * De vere carmen nequam: 2, 3-4, 1973, 10;
 - * Meditatio canina: 2, 8-9-10, 1973, 10;
 - * Come Pioveva! : ibid.
 - * Lavatio nocturna : ibid.

7° Carmina Latina recentiora veterum tibiis canunt nepotes (Leichling¹ae, 1975): pp. 135-149 novem carmina afferuntur.

8° J. Ijsewijn, Latijn uit Joegoslavië en Tsjecho-Slovakië, Hermeneus, 37, 1965-1966, 281-285. Duo carmina afferuntur. Idem vir doctus de Iano sententiam tulit in Companion to Neo-Latin Studies, Amstelodami (etc.), 1977, p. 157.

9° D. Sacré, Een hedendaags Latijns gedicht : Furens Tympanotriba van Ian Novak, Kleio, N.R. 14, 1984, 73-81. Denuo editur carmen interpretatione Nederlandica et specimine litterario instructum.

10° Iurgium (in memoriam Ferdinandi Mariae Brignoli), Furens tympanotriba, Ostoria Chelidon, Discipuli querela. Carmina certaminis poetici Hoeffftiani edidit Academia Regia Disciplinarum Nederlandica, Amstelodami. 1970. 15-22.

11° Praeterea complures versus Novaciani, modis musicis ornati, cum exhiberentur iterum sunt excusi, velut in Textibus poeticis Feriarum Latinarum anni 1972 et in programme quodam centus Lovanii editi, cum (mense Sextili anni 1971) Primus Conventus Internationalis Studiis Latinitatis Humanisticae Provehendis haberetur.

12° Praeter eos locos, quos I. Draheim (O.1.) de Iano Novak musurgo attulit, videatis: Alena Nemcova, art. Novak Jan, The New Grove Dictionary of Music and Musicians. Edited by S. Sadie, 13, Londinii, 1980, 432-434.

Theodericus Sacré Lovaniensis.

Volumus

Volumus

12

12

DE FUTURIS LUDIS LATINIS.



Ut iam superiore numero nuntiatum est, LUDI LATINI habebuntur, a die 8° in diem 14 um m. Aprilis anni 1985 i, Augustae Vindelicorum (Augsburg in Germania), auspiciis Burgimagistri Maioris. Ludi enim Latini sunt pars omnis generis ludorum, quibus per totum annum 1985 um celebrabitur haec urbs ante duo milia annorum condita.

Officialis LUDORUM LATINORUM lingua est Latina. Expectantur ducenti ad trecenti participes, undique oriundi etiam ex America et Iaponia.

Aedes ubi praecipue habebuntur Ludi vocantur "Gymnasium St Anna".

Programma est tripertitum :

-antemeridiano tempore fient colloquia Latina, ludi scaenici, Colloquium Atticum, auditiones de Romana arte coquinaria, cantus ex novissimo Iani Novak cantuum libro.

-postmeridiano tempore fient concentus minores, pantomimi, lectio carminum, spectacula cinematographica et magnetoscopica, lustratio Augustae Vindelicorum et Musei Romani.

-vespere maiores concentus et spectacula theatra habebuntur:

die 8° : *inauguratio sollemnis a Valahfrido Stroh et Urbis Regionisque legatis agenda

*Iani Novak Odarum concentus

*Philidoris Horatii carmen saeculare

die 9° : *ludi scaenici (Plautus, Bacchides)

die 10° : *Iani Novak operum concentus

die 11° : *Vergilii Horatiique adaptationes musicae

die 12° : *ludi scaenici

die 13° : *saltatio publica coniuncta cum Deliciis Latinis

-die 14° mane officio divino oecumenico concludentur
LUDI LATINI

Qui participare cupiunt, scribant ad :

Prof. Dr Wilfried STROH - Institut für Klassische Philologie des Universität München.
Geschwister-Scholl-Platz, 1 / D-8000 München 22

Inscriptio singulis constat 50 D.M., exceptis tamen gymnasiorum universitatumque scholaribus, quibus 30 D.M. tantum solvendae sunt.

Pernoctatio in domo Sancti Udalrici, cum ientaculo et prandio, constat 62 D.M. in conclavi unius lecti vel 57 D.M. in conclave duorum lectorum.

(Postgirokonto München 5191-800, W. Stroh LUDI LATINI)

Si quis percipere cupiat quo animo Valahfridus Stroh LUDOS LATINOS a°1983° cum Iano Novak instituit, infra legat orationem, quam Elvaci ad initium sollemne habuit entheus :

DE AMORE, MUSICAE MAGISTRO.

Quod bonum felix fortunatumque sit.

Precamur a dis immortalibus, sodales, ut his LUDIS LATINIS, quos agere incipimus, et adsint propitio numine et faveant. Quem autem deum maxime invocandum putatis? (adclamant : AMOREM!) Amorem scilicet, filium Veneris, qui horum LUDORUM patronus est. Amor enim, ut audivistis et legistis, docet musicam; non solum sagittis suis homines laedit, sed est etiam magister, est magister musicae, magister eloquentiae. Hoc autem cognoscere licet vel e Polyphemi exemplo (nam nostis Polyphemum illum, quem Homerus describit, Cyclopem, unico oculo toruiter spectantem): is certe erat quam maxime barbarus, alienus a musicis rebus, vix humana praeditus voce. Sed idem Polyphemus, cum ab Amore vulneratus esset, cum adamavisset Galateam, formosissimam virginem, quid tum denique factum est? Amore magistro plane commutatus est ferus ille ac barbarus, diserte declamavit, cantavit ad citharam, et bella voce cantavit: Huc ades, o Galatea ...

O Amor, deorum maxime, fac ut idem nobis quoque contingat, ut te magistro loqui et cantare discamus, ut te magistro Latinas litteras colamus! Amor, fave LUDIS!

Cur autem Latine potissimum dicimus? Cur omnino vetus ille sermo Latinus colitur et discitur? Vulgaris sane est ac trita quaestio, de qua viri sapientes multa docuerunt. Dicunt Latinum sermonem utilissimum esse ad ingenia acuenda, Latino sermone accessum dari ad fontes humanitatis, Latino sermone Europam defendi volunt contra barbariam. Haec nos omnia bona et vera esse concedimus, nec tamen has ob causas Ianus musicus et ego hos LUDOS LATINOS ediximus. Non Europam ut servemus hodie in animo est - id postea agemus - , sed ut eum sermonem excolamus, qui omnes facile superat sonoritate linguae, elegantia verborum, incredibili quadam dulcedine. Hic nos sermo Latinus amore percussit ardenti; hic facit ut etiam atque Amorem deum rogemus, his ludis ut adesse dignetur. Invoke mecum deum: Amor, fave LUDIS. (Iterant omnes : AMOR FAVE LUDIS.)

Nec tamen deus hodie solus appellandus est, sed multi sunt etiam homines, quibus gratiae sint agenda, quod benevolentia et (quod non levius est) sumptibus LUDOS adiuverunt. Ac primum dico Dusanum Parisek, pantomimum Moravum, qui nobis non solum oecos dedit ac lectos hac in arce, sed arte quoque sua LUDOS exornabit, adiutus a Dobra uxore optima. Deinde gratiae debentur

(séquitur p. 11)

LIBRORUM EXISTIMATIONES

ANTIQUIS DE REBUS...LIBRI NOVI.

In Gallia duo libri minimo temporis intervallo editi sunt anno MCMLXXXIV exeunte, quibus, etsi vernacula lingua scripti sunt, Latinitatis amici valde delectari possunt: Ambae enim narrationes sunt de antiquis Romae factis et moribus, in quibus fictio libere inventa cum historica scientia aequae coniungitur. Priori titulus est "NEROPOLIS", quod opus scripsit Hubertus MONTEILHET, edidit Julliard-Pauvert (Lutetiae Parisiorum), paginas habet 739 quibus adduntur tabulae, constat Francogallis nummis 120; alteri titulus est "CATILINA", quod opus scripsit Ivo (= Yves) GUENA, edidit Flammarion (Lutetiae Parisiorum), paginas habet 320, constat Francogallicis nummis 95.

In illo aetas Neroniana, in hoc res publica exiens videlicet describitur. In ambobus libris persona ficta primas partes agit et inter multas personas, alias ipsas fictas quoque alias veras et historicas, ~~viv~~ ^{sh} vivit. In illo Kaeso Aponius quidam, senatoris patri- ^{sh} monii naufragi filius, a Silano adulescens adoptatus, in hoc Caius Aemilius Scaurus quidam, Catilinae ipsi a patre commissus ut ad latus eius rem publicam ~~et~~ ^{sh} cognosceret et honores postea sequeretur, protagonista est.

In illo apparent homines veri non solum videlicet Nero Silanusque, sed etiam Caligula et Claudius et Otho et Galba et Vitellius et Vespasianus et Titus et Nerva et Domitianus (antequam regno potiantur), et Seneca et Petronius et Sporus et Sancti Petrus et Paulus et Lucas et alii etiamque alii, quos longum est enumerare; in hoc apparent homines veri non solum videlicet Catilina, sed Cethegus et Lentulus et Sempronia et Fulvia et Porcius Laeca et Manlius et Labienus et Caesar et Hirtius et Fulvius et Cicero et Cato et ceteri, quos longum est enumerare.

In illo iucunde et docte simul memorantur describunturque, ut factorum narratio fert, quaecumque ad vitam Romanam a natalibus usque ad mortem adtinent, sive in vita domestica, sive in vita publica, sive in urbe, sive in castris vel ruri, sive de servis et libertis, sive de hominibus liberis, sive otiantur sive negotiantur, nec non morum corruptorum depravatorumque stupra, quae illo tempore vigerunt, nec non primorum Christianorum persecutiones pericula suppliciaque.

In hoc facta, quae per Ciceronianas orationes et per librum a Sallustio "de coniuratione Catilinae" scriptum iamdiu notissima sunt, memorantur; de his factis autem auctor cui ipsi vitae publicae experientia ampla est (fuit enim administer publicus De Gaulle et Pompidou principibus), proprio modo meditatus est et proprio iudicio ea interpretatus est. Nam cum ad hoc tempus solum per inimicos (Ciceronem Sallustiumque videlicet) res illae ad nos pervenissent, Ivo Guena contra conatus est distinguere quid esset in antiquis relationibus certum, quid contumeliose vel temere dictum; atque ad hoc protagonistam suum finxit unum e Catilinae coetu esse ut haec facta certa illustrarentur quasi diversa luce et diversa interpretatione.

Ceterum personarum omnium, praesertim protagonistarum, animi in utroque libro lectores adtrahunt: Uterque protagonista, adulescens in mediis turpidinibus ignavisque plerorumque immersus, victor salvat integram animi sui puritatem. Quo vero pretio, quantis doloribus? Kaeso, omnibus bonis suis voluntarie spoliatus, integritatem suam servat...in mortis supplicio; Caius, postquam graviter vulneratus est in pugna apud Pistoriam, animo etiam magis laeso quam corpore, omni spe destitutus, integritatem suam servat...in solitariae vitae amaritudine. In neutro autem libro ulla nimis animorum effusio, sed omnia pudico stilo moderata.

Praeterea in utroque auctore plena scriptorum antiquorum scientia et amor apparet per locos antiquos, quos suis operibus inserunt. Hubertus Monteilhet ex. gr. multas inscriptiones Latinas Latine ^{affert} citat atque longas partes Senecae epistularum Gallice convertit et aptat; Ivo Guena non solum Ciceronianos Sallustianosque locos, sed ex. gr. Quinti Ciceronis quoque sententias, quas libere transponit, vel carmina Catulliana et Sapphica convertit et aptat quoque.

Denique utrique narrationi sunt documenta addita: Uni sunt adiunctae variae descriptiones geographicae et genealogia; alteri ~~una~~ ^{sh} descriptio strategica et notae commentariique, quibus lectores planius intel- ^{le} ligere possunt res et veras a fictis distinguere.

Quid plura? In utroque libro Antiquitas Latina vivit; uterque nobis Latinitatis amantibus delectabilis; uterque maxime idoneus quo lectores Latinarum rerum indocti ad eas adtrahantur et hoc studium, quod ignoraverunt, nutrire incipiant. Magna igitur spes mihi est, ubi video his libris magnum emptorum numerum esse: spero enim hoc esse signum nascentis rerum Romanarum studii.

Immo eo augetur haec spes, quod, dum hi novi antiquitatis scriptores proveniunt et surgunt, eodem fere tempore provenit et surgit nova collectio, praesertim ad adulescentulos destinata, quam Claudius AZIZA Sorbonnensis professor moderatur et in ea Gallice edit narrationes fictivas de antiquitate, quas scripserunt saeculo priore homines variarum gentium linguarumque. Sic sunt iterum editi libri "Akté" ab Alexandro Dumas, et "Fabiola" a Nicolao Wiseman, et "Ben Hur" a Ludovico Wallace et "Ultimi Pompeiorum dies" a Bulwer Lytton scripti. Narrationibus Cl. Aziza addidit commentarios historicos et descriptiones geographicas et cetera documenta utilia. Nomen collectionis est "Grands Romans Historiques", edidit "Presses Pocket", Lutetiae Parisiorum. Est collectio parvo pretio, ad largam divulgationem.

Certe de duobus omnino diversis librorum generibus dixi. Haec tamen in uno scripto coniunxi propter hanc causam: si editores maxime varii, alii nobiliores, alii populariores, libros de antiquitate compositos edunt, manifestum est eos iterum confidere se per talia opera magnum quaestum obtinere posse... Nec spe decipiuntur, cum re vera lectores adfluant. Nobis igitur quoque sit bona spes!

Genovefa Imme.

Cum videtur Hispaniam atque Portugalliam se mox Com-
munitati Oeconomicae Europaeae coniuncturas esse, ro-
gavimus amicos nostros Hispanos ut a praesenti numero
inciperent paeninsulae Ibericae historiam nobis adum-
brare ad monstrandum quantum iam a Romanorum tempori-
bus cum reliquae Europae rebus cohaereat.

De HISPANIAE STATU
II° SAECULO p.C.n.


In Hispania, urbium municipiorumque situs ac nu-
merus pendeat a praesentia Romana, inaequalis in
diversis partibus; quae minima praesertim erat ad
septentrionem vel secundum flumen Durium.

Regentibus Romanis, pleraeque urbes de collibus
in planitiem deferuntur. Homines qui ruri dispersi
habitant in fora convenire coguntur.


Plerique homines inculti sunt, non solum ruri,
sed etiam in urbibus. Philostratus in Vita Apollonii
narrat incola cuiusdam civitatis, actorem theatralem
videntes, timidos aufuisse.

Praeterea res Hispanicae magnopere afficiebantur
vicissitudinibus Imperii Romani. fisci administratio
pessima erat; leges de vectigalibus altera alteri
contrariae erant. Hispania erat mixtura gentium
cultuumque diversorum (fortasse adhuc est).

DE VIIS : viae rotabiles, quarum numerum maxime aux-
erat Augustus, non eodem modo sternebantur ac in aliis
Imperii partibus. frequentibus reparationibus egebant
cum durissimis tempestatibus corrumpentur.



Para Abrir las Puertas



Convenio Agrario
Junta de Castilla y León
Diputación de Salamanca

Quare, in milliariis inveniuntur inscriptiones huius modi: "Refecit et restituit viam - vetustate conlapsa innovavit" vel "Pontes fecit, veteres restituit" vel "Vias et pontes tempore vetustatis conlapsos...".

Quae reparationes in quibusdam viis vel etiam in quibusdam viarum partibus frequentiores erant quam in ceteris. E quo deduci potest quibus in viis maximus fuerit commeatus vehiculorum. Viae praecipue inveniuntur in regionibus ~~quae~~ effodiebantur metalla, quae erant Hispaniae maximae opes; contra, rariores sunt in septentrionali Hispaniae parte.

DE ORDINE SOCIALI : in urbibus, homines distinguebantur in complures ordines:

-SENATOR, qui fieri cupiebat, debebat esse Italus, civis Romanus atque liber natus. Ei neque negotiari neque inter reos recipi licebat. In senatum deligebatur ab Imperatore.

-EQUES erat qui equum sustinere poterat; hac formula in equitum ordinem recipiebatur: "equo donato ab Imperatore". Qui ordo commercia exercebat.

-MUNICIPALEM MAGISTRATUM qui exercebat, civitatem Romanam obtinebat.

-ROMANI LATINIQUE CIVES, quorum numerus in Hispania erat parvus.

-PEREGRINI, quibus faverunt leges a Vespasiano promulgatae.

-LIBERTI, quibus non licebat municipalibus muneribus fungi, sed tantum nonnullis sacerdotiis.

DE ADMINISTRATIONE : Augustus Imperator primus totam Hispaniam in Romanorum dicionem redegit, postquam gentes septentrionales debellaverat. Anno 27° a.C.n. Provinciam Citeriorem auxit et Provinciam Ulteriorem in Baeticam et Lusitaniam divisit. Eadem divisio manet II° saeculo p.C.n.

Provincia Citerior atque Lusitania ab Imperatore per legatos Augusti propraetores administratur. Qui legati et iuridici legati senatorio loco erant et omnibus gravibus muneribus fungebantur.

Baetica a Senatu administrabatur per proconsulem, cui adiungebantur praetor et quaestor.

Minoribus officiis praeponebantur servi atque liberti.

Nonnulli singularibus muneribus fungebantur e.g. praefectus orae maritimae Laetanae vel insularum Balearum.

Ad summam, Romano regimini maximae curae erat securitas, ordo, viarum munitio et vectigalia exigenda.

DE AGRICULTURA : vetus communis agricultura languescit, latifundia crescunt; magnae villae, more Romano, aedificantur. Tantum in occidentali et septentrionali Hispaniae parte superest agricultura minor more tralaticio.

Immigrantes Italici imprimis ipsi agros colebant, postea servis usi sunt; denique, latifundiorum possessores liberis hominibus, qui vilici dicebantur, agros locabant.

Eo tempore, multa in agricolarum usibus mutata sunt; v.g. priora instrumenta ad cerealia colenda evicit aratrum Romanum, ad tribulandum contra instrumentum Punicum.

Hispaniae agriculturae praecipuae opes gignebantur e frumento, vite atque oliva.

Im pomariis praestabat ficus et cerasus. Magni progressus facti sunt in arbores inserendas.

DE PECUARIIS REBUS. Non magna differentia est inter hodiernam et antiquam faunam.

Equi Hispanici a Romanis magni aestimabantur.

Bobus praesertim utebantur ad vectionem, ad agros colendos et ad tribulandum, sed vix ad homines alendos.

Ovillam carnem praecipue comedebant homines. Multa ovium et caprarum genera erant.

Etiam suum carnem libenter comedebant homines, non tantum cicurum sed etiam ferorum. Perna, sicut hodie, magni aestimabatur.

Cuniculi frequentissimi erant. A venatoribus necabantur ut comederentur. Quae animalia, cum Romanis viderentur mirabilia et vere Hispanica etiam captabantur ut veherentur et exhiberentur usque in Orientem.

DE METALLIS : Aurum, argentum, plumbum, stannum ferrumque praesertim effodiebantur. Auri monopolium habebat res publica; cetera metalla effodere curabant conductores pro certo tempore. Novae fodinae inventae sunt in Gallaecia et in Lusitania.

Johannes-Alberto MORENO TORTUERO
Matritensis

DE AMORE, MUSICAE MAGISTRO
(sequitur)

Stephano Schultes, burgimagistro, qui, cum civitatem Elvacensem non sine auxilio Quinti Scheble famuli gubernaret, hos ludos quoque tutela sua tutos esse voluit. Nec praetereundus est Otomarus Dolderer, praeses sodalitatis historicae: is enim nobis et sacellum concessit in arce et hunc oecum pulcherrimum, quem videtis. Magno autem auxilio erat nobis etiam nobile illud collegium Baden-Virtembergense, cui nomen Latinum est "Humanitas hodierna", nomen barbarum "Humanismus heute": id nobis pecuniae non nihil suppeditavit (nam sine nummis interdum et Amor friget et musica).

Saluto autem etiam eos oratores, histriones, poetas, qui his diebus nullo salario orationes habebunt, carmina recitabunt, agent fabulas. Et saluto vos omnes, sodales, gratiasque ago vobis, quod e cunctis patriae partibus confluxistis ad LUDOS! Nec tantum ex Germania! Belgium misit suum Gaium Licoppe; Vindobona dedit Gustavum Wallner; Helvetia quoque sodales misit, promisit Italia (qui tamen vetiti sunt venire). Sed praecipue eum saluto, qui propter aetatem et sapientiam LUDORUM tamquam Nestor est: Hildebertum Hommel Tubingensem senem Latinissimum.

Latinitatis amor omnium aetatum homines consociat, omnium gentium. Hoc amore magistro feliciter procedant LUDI LATINI!
Amor, fave LUDIS!

Valahfridus STROH

UBI CONDISCERE LATINE LOQUI?

TERTIUM SEMINARIUM VESTENDENSE

habebitur iisdem in aedibus "Zon en Zee" a die 17^o in diem 24um m. Augusti a^o 1985^o.

Dr. P. Caelestis EICHENSEER sua solita methodo iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum. Cum participes ex multis regionibus convenire solent, facile percipitur quantum valeat lingua Latina ad commercium inter gentes, quarum sermones patrii dissimiles sunt. Invitantur universitatum alumni vel etiam scholarum discipuli, qui per nonnullos annos linguae Latinae discendae iam studuerunt.

Invitantur magistri magistraeque linguam Latinam docentes. Facile Latine loqui addiscunt, id quod plerisque maximo gaudio et utilitati est. Ceteris sunt optimum exemplum.

Invitantur etiam omnes qui linguam Latinam colunt et censeant illam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Inter colloquiorum Latinorum exercitationes et verborum recentiorum explicationes, participibus licebit frui litoris amoenitate et ludicris actuositatibus, quae in ipsis aedibus proponuntur, ut t^heniludus, natatio (sub tecto vel sub divo)...

Notandum est aedes "Zon en Zee" aptas esse ad familias per ferias accipiendas. Quare participes sine molestia familiam secum adducere possunt. Familiae pars, quae sessiones Latinas non participat, ludicra vel athletica otiose exercere potest.

Excursio unius diei fiet ad Ypram et Dammam invisendam, Paulo Elsen mystagogo Latine ducente.

Pro hospitio, alimonia usque ludorum athleticorum solvendi erunt 800 Fr.B. cottidie. Pro institutione 120 D.M. mittendae erunt ad VOCEM LATINAM.

ALIA SEMINARIA LATINA

-BOTTROPII, in urbe Rhenaniae Vestfalicae a 21-22/7 ad 3/8/85; de quo scribendum ad: Rochus Habitzky / Albertus-Magnus Strasse, 7 D-4100 Duisburg 25-Huckingen Tél.(0203)781430
-SELESTADII, in Alsatia, a 21-22/7 ad 27/7/85; de quo scribendum ad VOCEM LATINAM-Universität FR 6.3 D-6600 Saarbrücken 11

-In loco "MORSCHACH" in Helvetia, a 29/9 ad 5/10/85 de quo scribendum ad alterutram inscriptionem hanc:
Erika Roth Martinus Meier
Aeschistr. 6 Nassegasse 14
CH-3110 Münsingen CH-3302 Moosseedorf (BE)

FERIAE LATINAE

-SOPHIAE ANTIPOLI (Antibes) in Francogallia a 2/7 ad 9/7/85, de quo scribendum ad M.C. Desessard Résidence des Collines, C.9 rue Léo Brun F-06210 Mandelieu

QUAE A MELISSA PETI POSSUNT

VENEUNT APUD "MELISSAM"

- FOLIA LATINA, quibus index "MELISSA", secundo quoque mense edita;

Pro annua subnotatione solvendi sunt :

- in Belgio, 200 franci Belgici
- extra Belgium, 400 franci Belgici

- OPUS CINEMATOGRAPHICUM, e comoedia Plautina cui index "RUDENS", in videocasetis, generis "V.H.S." vel "Betamax" vel "Video 2000" eisque systematis PAL Cuiuscumque generis videocaseta cum textus libello venundatur 4900 francis Belgicis.

Cum iam videocasetae expetitae sunt etiam ex longinquis regionibus, velut America et Nova Caledonia, monere debemus haec :

- videocasetae systematis Francogallici SECAM etiam peti possunt, sed earum pretium maius est, id est 6000 franci Belgici
- videocasetae generis Americani N.T.S.C. etiam peti possunt, sed earum pretium est 11 000 franci Belgici
- Ad videocasetarum pretium accedunt expensae cursuales.

Etiam exstat phonocaseta cum libello, cuius pretium est 550 franci Belgici.

Quae res peti possunt a sede MELISSAE,
Av. de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 Bruxellis - BELGIUM
Pecuniae mittantur ad sedem nummariam, quae est haec:
Argentaria Bruxellensis : B.B.L.
Computus: LICOPPE - MELISSA 310-4209741-27